



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cavtio Criminalis, Seu De Processibus Contra Sagas Liber

Spee, Friedrich von

Francofvrti, 1632

6. An bene faciant Principes Germaniae, cum in crimen Sagarum acriter procedunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11133

12 Dub. VI. *An bene faciant Principes Germania,*
tiam plurimorum Doctorum quos citat, & nos breuitatis causa omittimus: lege de hoc etiam *Mascardum vol. 3. concl. 1311.* Sed quicquid sit, neque enim hic hærere lubet, id extra controuersiam est, non licere in exceptis quicquam, quod rectæ rationi aduersum sit.

D V B I V M VI.

An benefaciant Principes Germania, cum in crimen Sagarum acriter procedunt?

RESPONDEO, Longissime absit à me, vt arguam Magistratus, cum vehementer in hoc crimen se concitant: uoluit eos imperare nobis Deus & nos parere. Rationes suas habent, quas consiliarij iis dictant, & sunt istæ:

RATIO I. Purgant (vt aiunt) Remp. ab insigni peste, quæ vt cancer serpit & contagione nocet.

RATIO II. Anteuertunt damna & clades, à quibus machinandis mancipia illa Sathanæ nunquam cessant.

RATIO III. Satisfaciunt officio suo, & uocationi: Sic enim Apost. ad Rom. 13. loquitur de Magistratu: *Non sine causa*
gla-

cum in crimen Sagarum acriter procedunt? 13

gladium portat, Dei enim Minister est, vindex in iram illi qui male agit. Ita quidem vt si contra bonum commune omittat punire reos sine legitima causa grauissime peccent, & criminis fiant participes ex c. 1. de offic. & potest. Iudicis de leg. & ex Innocentio, Baldo, Decio, Barbatio, Panormitano & reliquis Doctoribus; tenenturque ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde vel in Rempubl. vel in priuatos redundant, vt definitur ex dicto c. de Offic. de leg. estq; communis sententia Theologorum D. Thomæ 2. 2. qu. 26. Syluestri, Caietani in summa V. restitutio, Dominici Soti l. 4. de iustitia & iure. q. 7. d. 3. Medina in Cod. de rebus restituendis, & aliorum, quos longum sit recensere.

RATIO IV. Ostendunt zelum suum, quem habent tuendi honoris diuini; dum in capitales eius hostes laqueo & flamma grassantur. Bene igitur faciunt, nec culpari possunt, monente insuper Scriptura: *Ne maleficos viuere patiantur.* Exod. 22.

Dv-